

1300 abril 14. Barcelona

*El rei Jaume II promet als prohoms i a tota la universitat de Girona no donar, ni vendre, ni permutar, ni alienar la ciutat de Girona si no és al comte de Barcelona i concedeix, en privilegi especial, que la ciutat sigui unida al comtat de Barcelona.*

[A]. Original perdut.

B. Registre matriu del document en l'ACA, Cancelleria, reg. 197, f. 100v-101.

C. Còpia de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 19v.

D. Còpia en pergamí, nº 90 (294 × 460 mm), conservada a l'AHCG, escrita per Bartomeu Tort, notari públic substituït per autoritat reial de Jaspert de Campllong, notari públic de Girona, autenticada per Ramon de la Via, jutge ordinari de la mateixa ciutat, el 3 d'agost de 1380.

**Que la ciutat de Gerona no sia donada, venuda, escamiada o alienada a negun si no era comte de Barchinona. E que les jurisdiccions de la vegueria no sian dades, ans sian de la ciutat.**

Nos Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie et Murcie comesque Barchinone ac sancte Romane Ecclesie vexillarius, ammiratus et capitaneus generalis. Per nos et successores nostros, presentes et futuros, concedimus et promittimus bona fide vobis probis hominibus et toti universitati civitatis Gerunde, tam presentibus quam futuris, quod amodo civitatem predictam Gerunde non dabimus, vendemus, permutabimus vel modo aliquo alienabimus quantum ad proprietatem ad imperpetuum alicui persone, extranee vel private, nisi esset comes Barchinone, immo volumus et concedimus vobis in privilegium speciale quod ipsa civitas cum eius pertinenciis et iuribus universis sit unita dicto comitatu Barchinone et sit et remaneat cum eodem simul cum vicaria civitatis eiusdem et pertinenciis ipsius. Concedimus etiam et promittimus vobis in privilegium speciale quod iurisdicciones vicarie civitatis prefate non vendemus, dabimus, emfranchiemus vel alicui persone ad imperpetuum assignabimus ullo modo. Immo volumus et vobis concedimus quod remaneant et sint semper de dominio civitatis predictae et quod vicarius Gerunde, quicumque fuerit imperpetuum, exerceat iurisdicciones in ipsa vicaria ac etiam faciat exercere vobis et vestris. Promittentes vobis quod contra predicta non veniemus seu venire aliquem in aliquo permittemus. Mandantes per presens privilegium nostrum procuratoribus, vicariis, baiulis et universis aliis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod predicta teneant et observent ut superius continetur et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua racione.

Datum Barchinone, XVIII kalendas madii, anno Domini millesimo trecentesimo. Raimundus de Salis.  
/19v/

Signum (*signe reial*) Iacobi, Dei gratia regis Aragonum, Valencie et Murcie comitisque Barchinone ac Sancte Romane Ecclesie vexillarii, ammirati<sup>a</sup> et capitanei generalis.

Testes sunt: Guillelmus de Angularia, Iaspertus de Castronovo, Bernardus Guillelmi de Entença, Petrus Cornelii, Arnaldus de Curçavino.

Signum Petri Marci, dicti domini regis scriptoris, qui mandato eiusdem hec scribi fecit et clausit die et anno prefixis<sup>b</sup>.

a. amirati, C. b. *Al peu del foli*: sigillo cereo impendenti comunito, C.